

per il pagamento de' suoi frutti, le Costituzioni di Simmaco, Gregorio IX., Alexandro VI., Paolo II., e Paolo IV., ed altri Pontefici nostri predecessori de rebus Camera non alienandis, la Regola de jure quaesito non tollendo, e qualsivoglia altra Costituzione, ed Ordinazone Apostolica nostra, e de' nostri Antecessori, qualunque Decreto, statuto, uso, stile, e consuetudine, e qualsivoglia altra cosa, che in qualunque modo faceffe in contrario, alle quali tutte, e singole cose, avendo il loro tenore qui per espresso, per questa sola volta, ed a quest' effetto deroghiamo. Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 28. Gennaio 1690. = Alexander Papa Octavus.

§.3. Hinc est, quod nos firmiori praemissorum robori, & efficaciam nostras literas, quas sub plumbro expediti iri in nostris concessionibus praedicti Vice-Cancellariatus Officii dicto Petro Cardinali, ut praefertur, factae literis innuimus, seu significavimus providere volentes, ac Motus proprii, & Chirographi praedictorum ejusdem Innocentii praedecessoris tenores, & datas, etiam veriores, aliaque quaecumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, ac exactissime specificatis habentes, Motu simili, & ex certa scientia, & matura deliberatione, meraque liberalitate nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesertim Votum dictae Congregationis, & Chirographum nostrum subinde in plena Camera die trigesima Januarii currentis Anni exhibitum, & die decima Februarii ejusdem Anni admittimus, & registratum cum omnibus, & singulis in eis contentis, & inde secutis quibuscumque, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, ac nos rata, grataque habere declaramus, illique inviolabilis, & Apostolicae firmitatis vim, robor, & efficaciam adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, necnon Decretorum etiam Camerae, & Consistorialium, & Camerae, & Cancellariae, & Summatus Officiorum hujusmodi, aliorumque quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratorum, statutorum, & consuetudinum, praescripto, ac de stylo, & usu, seu alias quomodolibet in similibus, & de necessitate observandarum, & alios quoscumque, etiam quantumvis magnos, & formales, ac substantiales, & inexcogitatos, quam inexcogitabiles defectus, etiam si tales sint, ut non nisi facta eorum specifica mentione sanari possint, si qui in eisdem praemissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, antecedenter, concomitanter, vel subsequenter, seu alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeari, vel pretendi possent plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, perimus, & abolemus.

§.4. Decernentes easdem praesentes literas, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque Ministri, & Officiales dictae Camerae nostrae Apostolicae, & alii cujuscumque gradus, ordinis, praeminentiae, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua expressione digni in eisdem praemissis interesse habentes, seu habere pretendentes illis non confenserint, nec ad ea citati, vocati, & auditi, neque causa propter quas

Confirmatio  
relati Voti, &  
Chirographi.

Omnes defectus  
supple-  
tur.

Clausula.

praesentes emanaverint adductae, specificatae, & justificatae fuerint, & ex alia quacumque quantumvis justa, pia, legitima, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore, juris clauso, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, alioque quomodolibet, & quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuumque expressionem requirentem defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, retractari, injus, vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eisdem Petro Cardinali, & Summatoris Officii successoribus in omnibus, & per omnia plenissime, & validissime suffragari.

§.5. Sicque, & non aliter in omnibus, & singulis praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Nuncios, necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictae S. R. E. Camerae, necnon praedictae Camerae Apostolicae Clericos, Praesidentes, Thesaurarium Generalem, Commissarium, & alios Officiales, ceterosque quoscumque, etiam quavis auctoritate, potestate, & praeminentia fungentes, & functuros, sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus praedicti dicti Innocentii praedecessoris Chirographo, necnon quatenus opus sit de jure quaesito non tollendo, aliique Juris, & dictae Cancellariae Regulis, & pia mem. Simmaci, Gregorii IX., Alexandri VI., Pauli II., & Pauli IV., & aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae, Camerae, & Sedis hujusmodi non alienandis, & alienatis recuperandis, & sa. mem. Pii PP., etiam Quarti similiter praedecessoris nostri de gratis quaecumque interesse dictae Camerae concernentibus in eadem Camera infra certum tunc expressum tempus exhibendis, & registrandis, ita ut praesentes literas ibidem exhiberi, & registrari numquam necesse sit, aliique quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, & Generalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus, ac Cancellariae, & Camerae praedictarum, aliique quibuscumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, & Decretis Cameralibus, & Consistorialibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam Camerae, & Cancellariae praedictis, ejusque Collegiis, eorumque Ministris, & Officialibus, aliique personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac etiam derogatoriis derogatoriis, aliique efficacioribus,

ribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium eorumdem praemissorum concessis, confirmatis, & pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia ex qua forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur eisdem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, eaque omnia, quae eisdem praemissis obesse, aut eorum executionem, & effectum retardare possent, omnino tollimus, & abrogamus, & pro sublati, & abrogati haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo Idibus Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

XIV.

Conceduntur Indulgentiae Christianis in Indiis existentibus, & Praesbyteris Societ. Jesu facultates plurimae impetrantur.

Alia Indulgentia Societ. Jesu extant Alex. VII. Consl. ed. 1663, Jul. 18, P. 9, & Inn. XII. Consl. ed. 1695, Jul. 3, P. 5. Alias vero facultates habet Inn. X. Consl. ed. 1647, Maji 14, P. 4. Item Alex. VII. Consl. ed. 1659, Febr. 22, P. 4. Et Inn. XII, Consl. ed. 1693, Sep. 1, P. 3.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Nimarum salutem Paterna charitate intenti supplicationibus dilecti filii Thyrsi Gonzales Societatis Jesu Praepositi Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inherentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christianis in quibuscumque Oceani Indiis, aut Sinarum Regione, vel Brasilia constitutis praesentibus, & futuris vere poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate, & Idololatria ad veri Dei cognitionem reducerint, plenariam; Nec non eisdem, etiam vere poenitentibus, & confessis die S. Thomae Apostoli in Indiis praedictis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum Praesbyterorum Societatis Jesu Ecclesiis illarum partium, Deo, vel in honorem Sanctorum erectis, necnon omnes, & singulas hujusmodi Ecclesias Collegiorum, Domorum, & residentiarum ejusdem Societatis Regionum praefatarum, saltem inter se

Preces Praepositi Gener. Societ. Jesu.

Indulg. Plen. pro Christianis omnibus.

per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus festis Domini Nostri, Beatae Mariae Virginis, aut Sanctorum per dictae Societatis Praepositum Generalem designandis, visitantibus, & inibi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumentibus, ac pro Gentilium, & Haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam.

§.1. Omnibus etiam, & singulis Praesbyteris, quam aliis de dicta Societate existentibus, quos in in qualibet utriusque Indiae Regione, vel Oceani Insula, aut navigatione pro fidei negotio eundo, vel redeundo mori contigerit, in cujuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis, & confessis si communicare nequiverint, plenariam pariter:

§.2. Scholaribus vero in utraque India existentibus, ac Confraternitati B. M. Virginis ibi Canonice instituta adscriptis, qui in Annuntiationis, & Assumptionis ipsius Beatae M. V. festis, dictum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumperint, & coronam, vel tertiam partem Rosarii recitaverint, necnon utriusque sexus Christianis aliarum ex Confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in festivitate SSimi Corporis Christi, & illius octava poenitentis similiter, & confessi, idem Eucharistiae Sacramentum sumperint, & in cujuslibet eorum utriusque sexus Christianis mortis articulo, etiam poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, vel saltem contritis, si confiteri, & communicari non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.3. Insuper dictis Scholaribus hujusmodi Confraternitati adscriptis, qui in singulis ejusdem Beatae Mariae Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi festivitatibus, confessi, & contriti, praemissa peregerint decem annorum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentis; eis quoque, qui in singulis diebus veneris cujuslibet Quadragesimae devote processionibus publicis in partibus, & locis transmarinis ad orandum pro conversione Gentilium, & Haereticorum praefatorum juxta ritum Ecclesiae Romanae institutis, interfuerint, trium annorum. Reliquis vero omnibus eisdem processionibus praesentibus, contritis, & confessis, unius anni Indulgentiam clar-

§.4. Quodque pro animabus eorum Christianis, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negotio fidei institutis ab humanis in charitate Christo conjuncti decesserint, confessi, ac sacra communione refecti, tertiam partem Rosarii, aut unam coronam recitaverint quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus a poenis Purgatorii liberare valeant.

§.5. Quodque Scholares utriusque Indiae hujusmodi, qui in Scholis Praesbyterorum dictae Societatis dant operam literis in Praesbyterorum eorumdem Ecclesiis Missas, vel alia Divina Officia tempore interdicti, & cessationis a Divinis, ipsique Praesbyteri eisdem Scholaribus praesentibus Januis clausis, & non pulsatis campanis, & dummodo ipsi causam hujusmodi interdicti non deriderint, & interdictis, ac excommunicatis ex clavis, audire, & celebrare respective possint concedimus, & indulgemus.

Idem pro Praesbyteris, aliisque Societatis.

Necnon pro Scholaribus, & Confratribus B.M.V.

Indulgentia 10. annorum, & alia trium pro dd. Scholaribus.

Indulg. unius anni pro omnibus.

Indulg. plen. pro Defunctis.

Privilegium Scholarum esse interdicti.

rint, excepto tamen tempore Quadragesimæ, & illarum tantum feriarum, quæ a Sac. Confit. Ordinis conceduntur, qui secus fecerint, in privationem suorum officiorum, & studiorum ipso facto incurrant absque alia declaratione, nec possint sub eisdem poenis Provinciales Ministri, & Superiores Conventuum prædictos Regentes, Lectores, & studentes quavis causa a residentia, & exercitiis Scholasticis distrahere, aut dispensare, imo suo muneri deficientes, severe corrigere, & punire teneantur, ac etiam si correctionibus non paruerint, a studiis rejicere, Ministro tamen Generali consulto.

De titulo Patris Provincie.

§.4. Quod non promoveantur, nec acceptentur ad Paternitatem Provincie, sive ex munere Regentia, sive Prædicationis, qui cursum non compleverint a Sac. Ord. Confit., & aliis Pontificiis sanctionibus præscriptum, & respectively a Decretis alias emanatis a Generali Diffinitorio, ita quod ad eandem paternitatem Provincie obtinendam, valeant suffragare solum illa Regentia, & Lectura, & sic pariter illa exercitia concionum Quadragesimalium laudabiliter completa in illis tantum Civitatibus, & Locis, & per integrum tempus annorum, prout ab ipsis Constitutionibus, Decretis Pontificiis, seu aliis Generalis Diffinitorii præscribitur, nec aliter liceat Ministro Generali pro tempore, seu per literas patentes, seu quocumque alio modo Patres Provincie instituire, aut declarare, & quæcumque institutio contra prædictas Sanctiones quomodolibet facta, in posterum invalida, & nulla sit, & illegitime instituta, etiam si a Diffinitorio Provincie acceptentur: totum sit irritum, & inane, nec ullo Paternitatis, Provincie titulo, aut privilegio gaudeat.

De receptione ad Habitum.

§.5. Ministri Provinciales quarumcumque Provinciarum, necnon Custos Sac. Conventus Assisensis nullo modo ad habitum Religionis quemlibet alterius Provincie admittere audeant, nisi prius accedat consensus in scriptis, & beneplacitum Procuratoris Provincialis nativæ Provincie, alias acceptatio nulla sit, & invalida, & transgredientes privationem suorum officiorum incurrant.

De Laurea Magistrali, & gradu Collegialis.

§.6. Ad Lauream Magistrali nemo possit admitti, nisi juxta formam Constitut. Ordinis, prævio Collegio, ubi laudabiliter in omnibus Scholasticis exercitiis profecerit, publicas Theologicas Theses egregie sustinendo, & privatis conferentiis in Scholis, & Lectionibus assidue per totum triennium se exercendo, de quibus omnibus juratam fidem in scriptis Superiorum, Localium, & suorum Regentum obtinere teneantur, sine qua nequeant a Ministro Generali Lauream obtinere, qui Superiores, & Regentes caute, & secundum conscientiam procedant, & tales fides negligentibus, qui in studiis non profecerint, denegare teneantur, sub poenis Ministri Generalis arbitrio reservatis, etiam privationis officiorum, ita pariter nemo valeat ad Collegia vocari, nec admitti, nisi prius publice Theologiae Theses laudabiliter sustinuerint, fidemque juratam Superiorum, & Regentum illorum studiorum, ubi fuerint morati, exhibeant, a Ministro Generali diligenter examinandam, sine qua nequeat Generalis Minister ullum ad Collegium admittere: sicut pariter neminem possit Collegialis gradu condecorare, nisi prius a pluribus Examinatoribus coram Eminentissimo, & Reverendissimo Protectore Ordinis, & ipso Generali Mini-

stro fuerit in tota Philosophia, & saltem duobus tractatibus Theologiae diligenter examinatus, & tali gradu dignus judicatus, ipso Ordinis Protectore consulto. Sicut etiam nemo ex Ultramontanis, & Ultramarinis Provinciis ad Lauream Magistrali possit admitti, nisi servata forma privilegiorum Summorum Pontificum prævio riguroso examine, & propria Provincie Diffinitorio annente.

Preces Ministri Generalis.

§.7. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joseph Maria Minister Generalis Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & ferventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Josepho Maria gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie abolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac audita super præmissis Venerabilis Fratris nostri Flavii Episcopi Albanen. S. R. E. Cardinalis Chiffi nuncupati memorati Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris relatione, Decreta præserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplementus.

Confirmatio relocatorii Decretorum.

§.8. Decernentes præserta Decreta, ac eadem præsentem literas semper firmas, validas, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari: Sique in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scianter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.10. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibite, vel ostense.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub An.

Annulo Pisc. die V. April. MDCXC., Pontificatus nostri anno Primo.

XVI.

Dat. 10. Apr. 1690. An. I.

Erigitur Oppidum de Nankim Machaonen. Diocesis in Civitatem, ejusque Ecclesia in Cathedrali, & Regi Portugallie juspatronatus, & præsentandi conceditur.

Similis erectio extat Inn. XI. Const. ed. 1677, Septem. 29, P. 2. Et hujus Pontif. Constitutione sequenti.

ALEXANDER PAPA VIII.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procurium.

Romanus Pontifex Beati Petri Cælestis Regni Clavigeri successor, Christianique Vicarius cuncta mundi climata, omniumque Nationum in illis degentium qualitates considerat, ac ratione discutit, & examinat diligenter, propterea ex officii sui debito salutem omnium quaerens, & appetens, ea suadentibus moribus, & causis perpetua deliberatione disponit, & ordinat, quæ divinæ Majestati gratæ fore considerat, & quibus oves suæ curæ divinitus creditæ ad Dominicum ovile conducantur, eisdem, scilicet æternæ salutis pollicito præmio. Nihil igitur certius, & acceptius Divinæ Majestati esse censetur, quam ut Catholica fidei veritas ad laudem, & gloriam divini Nominis in omnibus terræ partibus suscipiat incrementa.

Causæ d. Erectionis.

§.1. Sane cum Charissimus in Christo filius noster Petrus Portugallie, & Algarbiorum Rex Illustris accepisset in parte Australi Regni Sinarum opera, & Ministerio variorum Religiosorum, & aliorum doctrinæ insignium, & vitæ approbatorum virorum præcipua sollicitudine, & industria laborantium infinitas propemodum gentes, abjectis inde Satanae tenebris, ac Idololatriæ, & Gentilitatis, hæresisque erroribus ad Catholicam Christi Fidem, & Sanctæ Mariæ Ecclesie gremium amabilissimum conversas reperiri, eisque rationibus Religio Christiana in illis partibus, & Diocesi, & Ecclesia Machaonen., quæ de Jurepatronatus Regum Portugallie ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hæcenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, sic longe, lateque propagata sit, ut Episcopus Machaonen. pro tempore existens ad illam, ejusque fines ob locorum distantiam transmeare, & singulorum cultus, ut Episcopum deceat inspicere, aliasque partes boni Pastoris in universum exercere nequeat; quodque illius Incolæ, & habitatores proprio noscebantur Pastore indigere, qui præsentia sua, ac divino cooperate Spiritu Pontificalia omnia in illis Partibus exercere posset, & deberet; cumque in ea parte adit inter cætera unum Oppidum de Nankim nuncupatum amplitudine, fertilitate, & commerciorum frequentia celebre in d. Oppido de Nankim una Ecclesia Beatae Virginis dicata altera inibi existente major, & principalis, cui ejusdem Regis Lusitani Millionarii intervniunt, & in qua Missæ, & alia Divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta ministrantur,

Ecclesia Machaonen. est de jurepatronatus Regis Portugallie.

jampridem erecta, & fundata existat, cum Sacario ad Divinum Cultum sufficienter instructo, Proptereaque dictum Oppidum de Nankim a Diocesi Machaonen. dismembrari, & in Civitatem, dictamque Ecclesiam B. Virginis in Cathedrali erigi, & in ea Catholicum Antistitem, & Pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsa Fide confirmare, & majora Seminaria plantare, Dominicique Ovilis septa edificare, cæteraque Pontificalia omnia in illis partibus exercere poterit, & debeat, omnino expediret, devotionis suæ zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per ejus literas humiliter supplicasset:

Preces Regis Portugallie.

§.2. Idcirco nos matura super his cum nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis particularis de Propaganda fide super rebus Indiarum Orientalium, specialiter deputatæ, cui negotium dismembrationis, & erectionis hujusmodi discutien. a nobis remissum fuerat, habita deliberatione Oppidum prædictum de Nankim Episcopali, & Civili titulo dignum judicantes piisque dicti Petri Regis votis libenter annuentes de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium consilio, & assensu, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Oppidum de Nankim prædictum ab ordinaria Jurisdictione Episcopi Machaonen., Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus, illudque, ac ejus Clerum, & populum, quoad legem Diocesanam ab Episcopi Machaonen. superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, vilitatione, & correctione prorsus eximimus, & liberamus, ac Oppidum de Nankim prædictum Civitatis, illiusque Incolas Civium Nomine, titulo, & honore decoramus, illudque in Civitatem, quæ de Nankim denominetur, & in eo dictam Ecclesiam Beatae Virginis dicatam in Cathedrali Ecclesiam sub invocatione ejusdem Beatae Virginis pro uno Episcopo de Nankim nuncupando, qui illi præsit, ac Ecclesiam ipsam ad formam Cathedralis Ecclesie redigi faciat, necnon in ea, & dictæ Civitatis, ac ejusdem Ecclesie Diocesi, tot dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia, Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quot inibi Divino cultui, & dictæ Ecclesie servitio, ac Ecclesiastici Cleri decori sibi videbuntur convenire de prædicti Petri, & pro tempore existentis Portugallie, & Algarbiorum Regis Consilio, & assensu, ac prævia eorum congrua dotatione, quamprimum fieri poterit, erigat, & instituat; necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ Ordinis, quæque jurisdictionis, & cujlibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ alii tam in Portugallie, & Algarbiorum Regnis, & Dominicis, quam alibi ubicumque constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diocesis de jure, & consuetudine, vel alias quomodolibet ex privilegiis, gratiis, & Indultis, ac dispensationibus Apostolicis quæcumque fuerint, etiam per alias Apostolicas eis desuper nominatim, & in specie concessas, auctoritate, & facultate sustulsi facere, & quibus uti solent, & possunt pariformiter æque principaliter, & absque ulla prorsus differentia, perinde ac si sibi quoque nominatim, & in specie concessa, & expresse

Dismembratio d. Oppidi Diocesis Machaonen.

Ejus erectio in Civitatem, & Ecclesie B.M. V. in Cathedrali.

Institutio Episcopatus ad instar aliorum cum subjectione Archiepiscopi Gozae.

Indulgen. 40. dierum, & a. fia 7 annorū, ac totid. quadragen. pro omnibus.

§.6. Insuper præfatis omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis in Indiis, & Regionibus prædictis existentibus, qui contriti, & confessi quamlibet Ecclesiam, & Capellam in eisdem partibus dictorum Presbyterorum Societatis Jesu cura, & opera, ut supra erectam, aut in futurum erigendam devote visitaverint, & ut supra oraverint, quadraginta dies, & semel quolibet anno aliquo die festo Domini Nostri Jesu Christi, Beate Virginis Mariæ, aut Sanctorum, quam Provincialis dictæ Societatis constituerit, septem annos, & totidem quadragenas.

Indulge. Stationum Urbis pro omnibus.

§.7. Eisdem, qui aliquam ex prædictis Ecclesiis dictorum Presbyterorum Societatis Jesu Quadragesimæ, & aliis temporibus Stationum Urbis, Dominicis, & feria sexta diebus visitaverint, easdem omnes, & singulas Indulgentias concedimus, quas consequerentur, si Ecclesias, & Basilicas Urbis in diebus Stationum hujusmodi devote visitarent, illisque, qui singulis diebus feria sexta primæ hebdomadæ cujuscumque mensis easdem Ecclesias devote visitaverint, & ibi quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam pro exaltatione Fidei Catholice recitaverint, septem annos. In festis vero D. N. Jesu Christi, ac Beate Virginis, Apostolorum, sub cujus titulo Ecclesia consistet, decem annos. His autem, qui aliquam ex dictis Ecclesiis postquam confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumperint, visitaverint, toties viginti annos.

Indulg. 7. annorum, ac totid. Quadragen. & alia 25, 10, ac 100. dierū pro omnibus.

§.8. Ac eisdem Christianis utriusque Indiæ, & transmarinarum limitum, qui processionibus, & precibus juxta Ritus S. R. E. a prædictis Presbyteris de Ordinariorum licentia instituentis, & agendis Indorum, & Æthyopum, seu quorumvis aliorum Neophytorum, & aliorum Christianorum interfuerint, & eas associerint Christianam Doctrinam cum eisdem Presbyteris, vel ab eis deputatis recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint septem annos, & totidem quadragenas. Invisentibus autem infirmos, & præsertim Indorum Hospitalia, Xenodochia, & alia similia loca pia, ipsi etiam infirmis per se, vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint viginti quinque. Qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint quinquaginta, eis etiam, qui coram Beate Mariæ Imagine ab Alma Urbe, ad Collegium Civitatis Limæ in Perù (ut asseritur) delata Tertiam Rosarii partem, vel coronam recitaverint, centum similiter dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, ac respective concedimus, & indulgemus.

Facultas pro Presbyteris Societatis Jesu permittendi Matrimonia inter consanguineos.

§.9. Præterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputandis Presbyteris cum Neophitis Provincialium utriusque Indiæ aliorumque Maris Oceani Regionum, in quibus inter Infideles Fideles existunt, & non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas juxta Constitutionem fel. record. Pauli III. editam existunt in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant in foro conscientie tantum, gratis tamen dispensandis: & insuper ibidem locorum Ordinarii, ut de Presbyterorum eorumdem,

tanquam adiutorum, & assessorum suorum in locis prædictis, & ubi eorum commodè potuerit haberi copia, consilio, & cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provinciis præfatis Ordinariorum præsentia desituerit, vel ab eis ultra duas dietas prædictas, non minus ducentis millibus passuum remotis Provincialibus, & deputatis Presbyteris prædictis cum eisdem Neophitis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi, & eos, qui in gradibus prohibitis hujusmodi etiam scienter contraxerint, ab accessibus, & communicationibus, aliisque censuris, & poenis Ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolviendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi.

Simendi fragmenta Eucharistiæ post Sacrificium.

§.10. Necnon ipsis Presbyteris in iisdem Indiis, & locis prædictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiæ fragmenta, seu minutia pro tempore interciderint, etiam post præfactum Sacrificium, absque ullo conscientie scrupulo, juxta Rubricas Missalis Romani reverenter sumendi.

Abfolvendi a peccatis, & censuris.

§.11. Insuper Presbyteris ejusdem Societatis Jesu, quos in Sarracenorum, & aliorum Infidelium Terras, & alias utriusque Judicæ, & transmarinas regiones Maris Oceani, ad quas Hispani, & Lusitani penetrant, ac Provincias remotissimas, ubi non est Inquisitio, & fideles inter Infideles degunt, neque Ordinarii saltem intra duas Dietas existunt hujusmodi facultatem habentes, Præpositus Generalis miserit, Christianos in eisdem Provinciis, Indiis, & Regionibus commorantes ab omnibus peccatis, sententiis, & censuris, etiam in Bulla Coenæ Domini contentis, & reservatis, etiam gratiose absolviendi facultatem.

Concionandi, Confessiones audiendi, & Missas celebrandi.

§.12. Eisdemque, ut semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad prædicandum, Confessiones audiendas, & Missas celebrandum in Ecclesiis, & Oratoriis Societatis Jesu prædictæ pro ministerium hujusmodi exercitio ulterius licentiam, & approbationem ab aliis Episcopis, quatenus distent ultra duas dietas petere, seu habere minime teneantur, sed absque illis præmissa facere possint. Si vero Episcopus ab Ecclesia, vel loco, ubi prædicatur, vel Confessiones audiuntur, non distet ultra prædictas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quæ tamen per Epistolam etiam impetrari possit.

Celebrandi in altari portatilibus, & extra tempus, necnon in Ecclesiis Sanctis antiquis.

§.13. Possint etiam extra Ecclesias consecratis super Altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubi non est commoditas Ecclesiarum, & in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam post meridiem in eisdem Regionibus cum opus fuerit, celebrare, & in Maluco, Giappone, & aliis Insularum, Terrarum, Provincialium, & locorum prædictorum partibus, & locis, a quibus valde remoti sunt Episcopi, Oleis Sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis libere uti possint.

Applicandi Missæ Defunctorum per modum suffragii.

§.14. Necnon ut quicumque ex prædictis Presbyteris Societatis præfate tantum Sacrosanctum Missæ Sacrificium Defunctorum pro Animabus Christianis, qui ex hac vita in charitate Christo conjuncti decesserunt, in singulis Ecclesiis Societatis Jesu, ad unum illorum Superiorum arbitrio semel deputandum Altare celebraverint per modum Suffragii iisdem Animabus profint.

Solvendi a Voto Castitatis.

§.15. Postremo iisdem Presbyteris a Præposito

Dispensandi super impedimentis Matrimonii.

Permittendi bona male acquisita.

Liberandi a jejunio, & debito matrimonio mali.

Legendi libros Infidelium.

Celebrandi Missas, & sacrificiandi Ordines Sacros ante tempus.

Quid veniant Neophyti nominis, quorum gratia datur fuit dd. facultates.

sito Generali ex dicta Societate deputandis, ut in prædictis Regionibus, Provinciis, & locis in quibus similiter fideles cum Infidelibus vivunt, & non adsunt Ordinarii, qui hujusmodi facultatem habeant, qui distant ultra duas dietas, cum Neophitis, aliisque ad fidem reductis ex rationabili causa, & legitima super voto Castitatis, non tamen solemnem, quomodolibet etiam per Ordinis Sacri susceptionem, vel Professionis Regularis in Religione per Sedem Apostolicam approbata, emissionem facto, & super matrimonio de facto, & in facie Ecclesiæ, sive scienter, sive ignoranter contracto, & quovis occulto impedimento, præter primi gradus, propter quod tale matrimonium in conscientia esset invalidum, & contrahentes sine scandalo separari non possent dispensandi, gratis tamen, & in foro conscientie tantum; ac super bonis male acquisitis, ad quæ retinenda ipsi Neophiti, & alii præfati in certis personis obligati extiterint cum eis ad opera pia componendi, vel si ipsi indigerent in toto, vel in parte remittendi, necnon cum Indis in foro conscientie tantum, & cum Neophitis in utroque foro super jejunio, gratis tamen dispensandi; necnon ob onere petitionis debiti Matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis, vel alia rationabili causa petere in foro conscientie tantum, & gratis liberandi, licentiamque legendi libros Infidelium de licentia, sui Provincialis personis dignis concedendi licentiam, & facultatem, Apostolica auctoritate tenore præsentium respective concedimus, & impartimur. Missas quoque per horam ante auroram, ipsi Patres Societatis celebrare possint, ac cum suis Regularibus, ut ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus.

§.16. Et insuper quia a nonnullis dubitatum, seu hæsitatum fuit an omnes indigenæ illarum Regionum oriundi, & naturales, & Christianorum indigenarum, etiam Baptizatorum filii, etiam in eorum Infantia baptizati Jure Neophiti appellari possint: Idcirco tenore eorundem præsentium decernimus, & declaramus, omnes oriundos, seu naturales supra dictorum omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, imo etiam Æthiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum Regionum, etiam si Christianorum filii, & in Infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europæis mixtum progeniti sint, ad concessionem hujusmodi effectum esse, & intelligi debere Neophitos, dictosque Presbyteros cum hujusmodi, vel ut Matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis, alias ut supra in quibuscumque consanguinitatis, vel affinitatis gradibus Jure Divino, ut supra non prohibitis, primo excepto, & alias, ut præfertur, gratis tamen dispensare posse concedimus, & indulgemus. Quin etiam, quia de mixtum progenitis, quos mixtos vocant, majus dubium accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum Neophitos censendos esse decernimus, in gradibus, & Matrimoniis contractis, & contrahendis prædictis gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare, eisdemque Presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Clausulas.

§.17. Decernentes, Presbyteros dictæ Societatis super præmissis, & aliis juxta facultates prædictas, & illarum vigore, servata tamen illarum forma exequendis ex quovis alio pretextu, vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios Superiores, & Judices Ecclesiasticos, & Sæculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse.

§.18. Sicque in præmissis per quoscumque Judices, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.19. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit nostræ de non concedendis Indulgentiis ad instar, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.20. Præsentibus ad viginti annos a fine aliorum 20. annorum, ad quos similes gratiæ a fel. rec. Clem. PP. IX. prædecessore nostro concessæ fuerunt inchoandos, tantum valiturus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sum Annulo Piscatoris di XXX. Mar. MDCXC., Pontificatus nostri Anno Primo.

XV.

Confirmantur quædam Decreta Capituli Generalis Minorum Conventualium.

Dat. r. April. 1690. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN supremo militantis Ecclesiæ folio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio constituta ea, quæ pro salubri eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati sunt, directione, ac felici gubernio provide prudenterque constituta sunt, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id a nobis petitur libenter roboramus.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Maria Bottari Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis mense Majo proxime præterito in Alma Urbe nostra celebrato edita, facta fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet:

§.2. Decreta noviter edita a Dissinitorio Generali Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Romæ celebrato sub die 29. Majo 1689. in Conventu Sanctorum duodecim Apostolorum.

De Residentia Regentū, Lectorū, Collegialium, & Studentium.

§.3. Decernitur, & statuitur, quod tam Regentes, quam Lectores, Collegiales, & studentes semper in propriis Gymnasiis residere teneantur, nec unquam quacumque occasione, seu pretextu ab ipsis studiis, & Lectionibus discedere, & deficere eis liceat absque evidenti necessitate, seu legitima causa a solo Ministro Generali cognoscenda, cui soli liceat concedere etiam per modicum tempus, dummodo non ita facile necessitas extra propriam residentiam morari, & non alteri cujuscumque gradus, & superioritatis fuerint,

sa fuissent, etiam si talia sint, quae specialem notam, & mentionem requirant, & sub generali concessione non veniant, in sua Diocesi de Nankim facere, gerere, & exercere libere, & licite possit, & debeat, ac pro tempore existenti Archiepiscopo Goan Jure Metropolitico, prout ante separationem, & dismembrationem hujusmodi existebat subdit cum Sede, & Mensa, aliisque Insigniis Episcopalibus, necnon praerogativis, & honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus caetera Cathedralis Ecclesiae Regnorum, & Dominiorum praedictorum similiter de jure, vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu Indulto Apostolico, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate praedicta eorumdem tenore praesentium etiam perpetuo erigimus, & institimus.

Termini Diocesis d. Episcopatus.

§.3. Ac eidem sic erectae Ecclesiae Oppidum de Nankim sic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & Districtus dictae Diocesis Machaonen. juxta divisionem per eundem Regem, vel Machaonen., ac de Nankim, & de Pekim similiter in Civitatem erigendi Episcopus de ejusdem Regis commisione inter se faciendi pro Diocesi, necnon Ecclesiasticas pro Clero, & Saeculares personas in Civitate, & Diocesi hujusmodi pro tempore degentes pro populo, de consilio, potestate, & auctoritate similibus etiam perpetuo concedimus, & assignamus, Civitatemque, Clerum, & Populum hujusmodi Episcopo de Nankim quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Goan pro tempore existenti, quoad Metropolitanam, ordinariam jurisdictionem, & superioritatem de dictorum Fratrum consilio, & potestatis plenitudine paribus etiam perpetuo subijcimus.

Mensa Dos.

§.4. Necnon Mensae Episcopali de Nankim hujusmodi pro ejus dote redditus annuos quingentorum Cruciatorum monetae Portugalliae, quadringentos ducatos auri de Camera constituentium per ipsum Petrum Regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus Rex de suis, & pro tempore existentium Portugalliae, & Algarbiorum Regum hujusmodi bonis gratiose, & irrevocabiler ad hunc effectum donavit, & obtulit, ac solvere quotannis promisit, seu promittit ex tunc, prout ex ea die, & ex nunc postquam assignati fuerint, ut praefertur similiter perpetuo applicamus, & approbamus.

Regibus Portugalliae servatur jus patronatus & praesentandi ad Episcopatum, & alias dignitates, & beneficia.

§.5. Et insuper Petro Regi, & pro tempore existentibus Portugalliae, & Algarbiorum Regibus praedictis Jus patronatus, & praesentandi ad dictam Ecclesiam Nankim videlicet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici infra annum ob locorum distantiam tam hac prima vice, quam quoties illa deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit per Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi in ejusdem Ecclesiae de Nankim Episcopum, & Pastorem ad praesentationem hujusmodi, & non alias praesciendo; ad majorem vero post Pontificalem, ac principales, ac alias dignitates, Canonicatus, & Praebendas, necnon Beneficia erigenda cum de Petri Regis, & pro tempore existentium Regum hu-

jusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primava erectione, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis, & ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eandem vacare contigerit, Episcopo de Nankim pro tempore existenti praedicto infra terminum a Jure praescriptum similiter per eum ad praesentationem praedicti Petri Regis, & pro tempore existentium Portugalliae, & Algarbiorum Regum in ipsis dignitatibus, Canonicatibus, & Praebendis, ac Beneficiis instituendis, etiam eadem auctoritate pariter reservamus, & concedimus.

Clausula.

Tituli d. jus patronatus.

§.6. Decernentes Jus patronatus, & praesentandi hujusmodi Petro, & pro tempore existentibus Regibus praedictis ex meris fundationibus, & dotationibus competere etiam per Sedem eandem etiam consistorialiter, quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri, & pro tempore existentium Regum praedictorum ad id expressis accedat assensus; & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde secutus, nullius roboris, efficaciae, & momenti fore.

§.7. Sicque per quoscumque Judices etiam, Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere-Legatos, Vice-Legatos, sedisque praedicti Nuncios, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; irritum quoque, & inane quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Non obstantibus Lateranen. Concilii novissime celebrati ab Ecclesiis membra distinguendi, & dividi prohibentis, ac Regula nostra de non tollendo Jure quaesito, & unionibus committendis, ac valore exprimendo quatenus opus sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, applicationis, appropriationis, reservationis Decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo. Quarto Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

XVII.

Erigitur Oppidum de Pekim Machaonen. Dioc. in Civitatem, ejusque Ecclesia in Cathedrali.

Dat. 10. Apr. 1690. An. 1.

lem, & Regi Portugalliae jus patronatus, & praesentandi conceditur.

Similem erectionem habes Constitutione praecedenti. Et dismembrationem quarundam Provinciarum in eodem Regno Sinarum Inno. XII. Constit. ed. 1694, Mss. P. 3. Inn. XII, Const. ed. 1696, Octob. 15, P. 6.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procuramus.

Romani Pontificis Pastoralis sollicitudo in supremo Apostolicae potestatis solo ex omnipotentis Dei providentia constituta ad ea potissimum dirigitur, per quae Salvatoris nostri Jesu Christi aeterni Patris Unigeniti fides, & gloria in dies magis magisque augetur, & multiplicatur, qui ubi messim multam esse comperit, operario- rum penuriam attendens, & ministrorum suorum curas variis diei horis ad opera mittere non desistit: cum & ipse, ut homines salutaris vitae, & Caestis Patriae cultores efficeret, de summis Caerolorum ad hujus mundi infima, & in Sacrosanctae Crucis Ara pro nostra salute in pretium immolari dignatus sit, cujus cum licet immeriti vices geramus in terris inter multiplices curas, quae ex Apostolico munere Nobis incumbere dignoscimus, illa praesertim cordi nostro est, ut multiplicata messe, & Agri Domini cultores multiplicentur, quorum assiduis operibus, & fructuosis ministeriis fructus spiritualis ad centesimum usque augetur, & Populus Christianus eisdem Recto- ribus gubernetur, quos Pater aeternus sui operis ministros esse disposuit. Propterea piissimi Patris familias partes favorabiliter implere curamus.

Causa d. Erectionis.

§.1. Sane cum charissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliae, & Algarbiorum Rex illustris pio praeponderans affectu, quod in toto vastissimo Imperio Sinarum, in quo infinitae promodum Gentes ad cognitionem veri luminis & Sanctae Matris Ecclesiae gremium accesserunt, unica tantum Ecclesia Cathedralis Machaonen. quae de Jure patronatus dicti Regis ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est haecenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, reperitur, cujus Episcopus ob locorum distantiam singulorum vultus inspicere, aliasque partes boni Pastoris in Universum exercere nequirit, attendens, quod in eodem Imperio etiam reperirentur inter caetera unum Oppidum de Pekim nuncupatum Incolarum multitudine, praesertim Christianifidelium, ac militum, ac magistratum numero copiose refertum, & ad quod ex omni parte Regni Sinarum pars maxima, & fere totius Imperii divitiae conflunt, & merces undequaque advehuntur, & in dicto Oppido una Ecclesia Beatae Virginis dicata, aliis inibi existentibus, major, & principalis, cui Missionarii ejusdem Lusitani Regis inserviunt, & in qua missae, & alia Divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta administrantur jam pridem erecta, & fundata existeret cum Sacrario ad Divinum cultum sufficienter instructo; Proptereaque dictum Oppidum de Pekim a Diocesi Machaonen. dismembrari, & in Civitatem, dictamque Ec-

clesiam Beatae Virginis in Cathedrali erigi, & in ea Catholicam Antistitem, & Pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsa fide confirmare, & majora Seminaria plantare, Dominicisque ovibus septa aedificare, caeteraque Pontificalia omnia in illis partibus exercere possit, & debeat omnino expedit, devotionis suae zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per ejus literas humiliter supplicasset:

Preces Regis Portugalliae.

§.2. Idcirco nos matura super his cum nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis particularis de Propaganda Fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatae, cui negotium dismembrationis, & erectionis hujusmodi discutendum a Nobis remissum fuerat, habita deliberatione Oppidum praedictum de Pekim Episcopali, & Civili titulo dignum judicantes, piis d. Petri Regis votis libenter annuentes de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, deque Apostolica potestatis plenitudine Oppidum de Pekim praedictum ab Ordinaria Jurisdictione Episcopi Machaonen. Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus, illudque, ac ejus Clerum, & Populum quo ad legem Diocesanam ab Episcopi Machaonen. superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione prorsus eximimus, & liberamus, ac Oppidum de Pekim praedictum Civitatis, illiusque Incolas civium nomine, & titulo, ac honore decoramus, illudque in Civitatem, quae de Pekim denominetur, & in eo dictam Ecclesiam Beatae Virginis dicatam in Cathedrali Ecclesiam sub invocatione ejusdem Beatae Virginis pro uno Episcopo de Pekim nuncupando, qui illi praesit, ac Ecclesiam ipsam ad formam Cathedralis Ecclesiae redigi faciat, necnon in ea, & dictae Civitatis, ac ejusdem Ecclesiae Diocesis tot dignitates Canonicatus, & praebendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quod inibi divino cultui, & dictae Ecclesiae servitio, ac Ecclesiastici Cleri decori sibi videbuntur convenire de praedicti Petri, & pro tempore existentis Portugalliae, & Algarbiorum Regis consilio, & assensu, ac praevia eorum congrua dotatione quamprimum fieri poterit erigit, & instituat.

Dismembratio d. Oppidi Machaonen.

Ejus Erectio in Civitatem, & Ecclesiae B. M. V. in Cathedrali.

§.3. Necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quae Ordinis, quaque Jurisdictionis, & cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quae aliis tam in Portugalliae, & Algarbiorum, Regnis, & Dominis, quam alibicumque constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diocesis de Jure, vel consuetudine, vel alias quomodolibet ex privilegiis, gratiis, & Indultis, & dispensationibus Apostolicis quocumque fuerint, etiam per literas Apostolicas eis desuper nominatim, & in specie concessas, auctori- tate, & facultate suffulti facere, & quibus uti solent, & possunt pariformiter, aequae principaliter, & absque ulla prorsus differentia perinde ac si sibi quoque nominatim, & in specie concessa, & expressa fuissent, etiam si talia sint, quae specialem notitiam, & mentionem requirant, & sub generali concessione non veniant, in sua Diocesi de Pekim facere, gerere, & exercere libere, & licite possit, & pro tempore existenti Archiepi-

Institutio Episcopatus ad instar aliorum cum subjectione Archiepiscopi Goan.

scopo Goan. Jure Metropolitanico, prout ante separationem, & dismembrationem hujusmodi existebat, subdit cum sede, & mensa, aliisque insigniis Episcopalis, necnon praeeminentiis, & honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus caetera Cathedrales Ecclesiae Regnorum, & Dominiorum praedictorum similiter de Jure, vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu Indulto Apostolico, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate praedicta eorumdem tenore praesentium perpetuo erigimus, & instituimus.

Termini Dignitatis d. Episcopatus.

§.4. Ac eidem sic erectae Ecclesiae Oppidum de Pekim sic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & districtus districtae Dioecesis Machaonen. juxta divisionem per eundem Regem, vel per Machaonen. ac de Pekim, & de Nankim similiter in Civitatem erigendam Episcopos de ejusdem Regis commissione inter se faciendam pro Dioecesi, necnon Ecclesias pro Clero, & saeculares Personas in Civitate, & Dioecesi hujusmodi pro tempore degentes pro Populo de consilio, potestate, & auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus, & assignamus: Civitatemque Clerum, & Populum hujusmodi Episcopo de Pekim quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Goan pro tempore existenti, quoad Metropolitanam, Ordinariam Jurisdictionem, & superioritatem de dictorum fratrum consilio, & potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo subjicimus.

Mensa Dos.

§.5. Necnon mensa Episcopali de Pekim hujusmodi pro eius Dote, & redditu annuo quingentorum Cruciatorum monetae Portugalliae quadringentos Ducatos auri de Camera constituentium per ipsum Petrum Regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus Rex de suis, & pro tempore existentium Portugalliae, & Algarbiorum Regum hujusmodi bonis gratuito, & irrevocabiler ad hunc effectum donavit, & obtulit, & solvere quotannis promisit, seu promittit ex tunc prout ex ea die, & ex tunc postquam assignati fuerint, ut praefertur similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Regibus Portugalliae servaturus, & praesentandi ad Episcopatum, alias dignitates, & beneficia.

§.6. Et insuper Petro Regi, & pro tempore existentibus Portugalliae, & Algarbiorum Regibus praedictis Juspatronatus, & praesentandi ad dictam Ecclesiam de Pekim videlicet Nobis, & pro tempore existenti Rom. Pontifici infra annum ob locorum distantiam tam hac prima vice, quam quoties illa deinceps quovis modo, etiam apud Sedem Apost. vacare contigerit, per nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi in ejusdem Ecclesiae de Pekim Episcopum, & Pastorem ad praesentationem hujusmodi, & non alias praesicien. Ad majorem vero post Pontificalem, ac principales, & alias Dignitates, ac Canoniciatus, & Praebendas, necnon Beneficia erigenda, cum de Petri Regis, & pro tempore existentium Regum hujusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primava erectione, quam ex tunc deinceps quoties illa quibuscumque modis, & ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem eandem vacare contigerit, Episcopo de Pekim pro tempore existenti praedicto infra triennium a Jure praesum similiter per eum ad praesentationem Petri Regis, & pro tempore existentium Portugalliae, & Algarbiorum Regum in ipsis dignitatibus, Canoniciatus, & Praebendis, ac Beneficiis instituendis, eadem auctoritate pariter perpetuo reservamus, & concedimus.

Clausula. Tituli juspatronatus.

§.7. Decernentes Juspatronatus, & praesentandi hujusmodi Petro, & pro tempore existentibus Regibus praedictis, ex meritis fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri, & pro tempore existentium Regum praedictorum ad id expressus accedat assensus, & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde secutis, nullius roboris, efficaciae, & momenti fore.

§.8. Sicque per quoscumque Judices, etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, sedisque praedictae Nuncios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definituri debere; irritum quoque, & inane quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.9. Non obstantibus Lateranen. Concilii novissime celebrati ab Ecclesiis membra distinguendi, & dividi prohibentis, ac Regula nostra de non tollendo Jure quaestio, & unionibus committendis, ac valore exprimens quatenus opus sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaeris alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

§.10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, applicationis, approbationis, reservationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo. Quarto Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

XVIII.

Extenditur in perpetuum Indulgentia Stationum Urbis ab Innocentio XI. Confraternitatibus Beatae Mariae de Mercede Redemption. Captiv. ad decennium concessa.

Die. 17. Apr. 1690. An. 1.

Alia Indulgentia harum Confraternitatum extant Inn. XI. Const. ed. 1678, Decem. 25, P. 3. Et Clement. XI. Const. ed. 1703, Jun. 23, P. 3.

ALEX.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter plures Indulgentias ab Innoc. XI. concessas extat d. Stationum.

Alias per fel. rec. Innocentium PP. XI. praedecessorem nostrum accepto, quod nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri tunc sui Confraternitatibus, seu Congregationibus Ordinis Fratrum B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, seu alicui ex Domibus Regularibus ejusdem Ordinis aggregatis, illarumque Confratribus, & Conforibus Christianifidelium sub duro Barbarorum iugo languentium, libertati sedulo incumbentibus quamplures Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, non tamen infrascriptas misericorditer in Domino concesserant: Idem Innocentius praedecessor eorumdem Confratres, & Conforores ad pietatis, & Christianae charitatis erga illos, qui dura immanium Christiani nominis hostium servitute opprimuntur, exercenda opera uberiorum, eisquae hactenus non concessarum spiritualium gratiarum largitione incitare cupiens, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, supplicationibus quoque dilecti filii Bartholomaei de Ribero Ordinis praefati Vicarii, & Procuratoris Generalis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum canonice co usque erectarum, & in futurum erigendarum personis utriusque sexus, quae aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, aut suarum respective Confraternitatum Ecclesias, seu Oratoria in diebus Stationum Ecclesiarum, Almae Urbis nostrae tunc fux, prout in Missali Romano exprimuntur devote visitassent, & ibidem pro Christianorum Principum concordia, haereticorum extirpatione, & Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon Captivorum praefatorum liberatione, eorumque perpetua perseverantia in Christianae Religionis, Catholicaeque Fidei professione pias ad Deum preces effudissent, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequerentur, quas consecuta fuissent, si easdem Ecclesias Urbis ad id deputatas in diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitassent concessit, & indulsit, & alias prout in ejusdem Innocentii praedecessoris desuper in simili forma Brevis die 12. Februarii 1688. expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluit, & quarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus plenus continetur. Nunc autem nos ad per amplius augendam eorumdem Confratrum, & Confororum religionem, & animarum salutem Caesibus Ecclesiae Thesauris pia charitate intenti, ac aliquod paternae nostrae erga Ordinem praefatum, cujus nos dum Cardinalatus auctoritate deputati eramus, benevolentiae monumentum extare cupientes, supplicationibus ejusdem Bartholomaei Vicarii, & Procuratoris Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem Indulgentiarum, & peccatorum remissionem, ac poenitentiarum relaxationem Confratribus, & Conforibus supra dictis praemissa peragentibus, a memorato Innocentio praedecessore ad decennium factam, ut praefertur in perpetuum, servata ceteroqui ea-

Causa Extinctionis.

Preces Procuratoris Gen.

Extensio praefata Induig.

rumdem Innocentii praedecessoris literarum forma, & dispositione, auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus, & ampliamus.

Clausula.

§.1. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus, & singulis illis, quae idem Innocentius praedecessor in suis literis supra dictis voluit non obstat, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus validis.

§.5. Volumus autem, ut ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscator. die XV. Aprilis MDCXC., Pontificatus Nostri Anno Primo.

XIX.

Communicantur Privilegia, & Indulgentiae caeterorum Regularium Ordini B.M. de Mercede Redemp. Captiv.

Die. 28. Julii 1690. An. 1.

Aliud privilegium vid. Clem. X. Const. ed. 1675, Jul. 19, P. 6. Indulgentias vero Clem. X. Const. ed. 1673, Decem. 29, P. 4. & Clem. XI. Const. ed. 1717, Aug. 4, P. 17.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili aeternae Sapientiae arcano Speculatores Domus Israel, nullo licet meritum nostrorum suffragio, constituti, Religiosos ordines in Ecclesia Dei pie, sancteque plantatos, ac uberes bonorum operum fructus profere jugiter satagentes, favoribus, & gratiis, quibus possumus, amplissimis libenter prosequimur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Recordium.

§.1. Cum itaque sicut dilectus filius Bartholomaeus de Ribero Vicarius, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper exposuisset, Fratres, & Religiosi ejusdem Ordinis in Captivorum Redemptione, gravissima quaeque discrimina, & pericula ad id subeunda, indefesse occupantur, & ut tam pium opus eo alacrius cupiant aliarum Religionum, & Ordinum gratias, & privilegia hactenus a Sede Apostolica concessa, dicto eorum Ordini, illiusque Fratribus, & locis per Nos, & Sedem eandem concedi, & communicari. Nobis propterea idem Bartholomaeus Vicarius, & Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa d. Communicationis.

§.2. Nos igitur memoratum Ordinem Beatae Mariae de Mercede, cujus nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, Protectores Apostolica auctoritate deputati eramus, propositis Apostolicae charitatis studio complectentes, ipsumque Bartholomaeum Vicarium, & Procuratorem Generalem, & singulares Ordinis huj-

Preces Procuratoris Gen.

E 2

just

iusmodi personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium prepositorum consilio, eidem Ordini Fratrum B. Marie de Mercede Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, & Regularibus locis sub illo comprehensis, necnon Magistro Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, & Procuratoribus Generalibus, Visitatori, Consultoribus, Assessori, Superioribusque Provincialibus, & Conventualibus, aliisque cuiuscumque nominis Officialibus Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis in eo professis, Fratribus pro tempore ad Captivos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus personis Regularibus, Novitiis, Conversis, Donatis, Oblatis, Ministris, famulis, cunctisque tam Officialibus, quam domesticis, & eorum Domibus intervenientibus, & ceteris dicti Ordinis, ac illius Domorum, & Regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis, ac Christianidelibus illorum Ecclesiarum, seu Cappellarum pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, preeminentiis, antelationibus, concessionibus indultis, favoribus, Indulgentiis, aliisque prerogativis, & gratis universis, & singulis tam spiritualibus, quam temporalibus, singulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis, ac personis, tam Canonicorum, quam Clericorum Regularium ubivis existentium insitutis, & non solum Ordinibus Monasticis, sed etiam Regularibus Mendicantium, & non Mendicantium, tam pro redimendis Captivis, quam alias quomodolibet Ordini SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, Conventibus, & Fratribus, necnon omnibus, & quibuscumque Congregationibus Regularibus, & precipue Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, & Canonicorum Congregationis Lateranensis, Sanctissimi Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffi Valentia, & Sanctae Crucis Colimbriae, Clericorum Regularium de Somaasca, & Pauperum Matris Dei, ac Scholarum Piarum, ipsisque Monasticis Congregationibus, etiam Casinensi, aliisque Monachis & Monasteriis Sancti Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Disalceatis, Conventui B. Marie de Guadalupe, necnon Societatis Iesu, ipsisque Carthusiensium, Premonstratentium, & Reformatorum Cisterciensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque similibus, & Societatibus Regularibus, militiis, Hospitalibus quibuscumque, & piis locis Regularibus, ac quibuscumque personis nunc, & pro tempore existentibus predictorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, & Congregationum Regularium, per Nos, & Sedem predictam, ac alios quoscumque predecessores nostros Romanos Pontifices, necnon ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere-Legatos, & quovis Sedis predictae Nuncios, vel etiam tam Apostolica predicta, quam Ordinaria, & Regia, vel Imperiali auctoritati-

Communicatio dd. Privilegiolorum, & Indulgentiarum.

bus respective, aut alias quomodolibet quibuscumque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, ac particulariter, tam per modum Communicationis, & ampliationis, quam simplicis, & individuae, ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum poenitentiarum relaxationes, aut alias quomodolibet de jure, usu, aut privilegio, vel consuetudine, quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa sint speciali nota digna, difficultique concessionis, & quae in generali concessione non veniant, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem, & ad illorum instar, sed speciatim, & nominatim pariformiter, & aequo principaliter in omnibus, ac per omnia absque ulla profusa differentia, perinde ac si illa dicto Ordini B. Marie de Mercede, illiusque Capitulis Generalibus, Magistro Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis predictis, specialiter, expresse, & nominatim, etiam per viam, & modum simplicis, & individuae, ac particularis, & specialis concessionis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant: ita quod omnes, & singuli dicti Ordinis B. Marie de Mercede, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores, & Ministri quocumque nomine appellati, eosque favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quae aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum Regularium, & familiarum Generales, Superiores, Praepositi, Provinciales, Rectores, Priores Conventuales, aut Claustrales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocumque nomine, titulo, aut dignitate insigniti habent, similiter, ut supra habeant: fratresque, & Personae Regulares dicti Ordinis Beatae Marie de Mercede Magistri Generales, Superiores, Ministri, & ceteri alii cuiuscumque appellationis praepositi, & Praefecti in dicto Ordine B. Marie de Mercede expresse professi, & in ejus gremio, & observantia viventes Fratres, & personas Regulares dicti Ordinis B. Marie de Mercede cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, & Congregationum huiusmodi perpetuo secundum observantiam Regularem, & Canonicum Institutum dicti eorum Ordinis Beatae Marie de Mercede regere, & gubernare, & respective visitare valeant, neque dictus Ordo B. Marie de Mercede super predictis omnibus, & singulis a quoquam quavis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut alias quomodolibet in iudicio, & extra impediri possit, Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas

Clausula.

XX.

Extenditur senarius numerus Magistrorum ad duodenarium in Quiten. Provincia Eremitarum S. Augustini.

Dat. 31. Julii 1690. An. I.

Similis extensio pro Provincia Batava extat Const. ed. 1690., Jan. 21, P. 1. Et Provincia Mexicana. Inn. XII. Const. ed. 1692, Sept. 28, P. 3.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perp. rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Philippus de Zamora frater expresse professus, & Procurator Provinciae Quitenis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Sacra Theologiae praesentatus, quod cum in proximo preterito Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1685, celebrato pro eadem Provincia sancitum fuerit, ut ad illam omnia Decreta, quae pro ceteris Indiarum Occidentalium Provinciae dicti Ordinis edita fuerant extendenda essent; in eodem vero Capitulo Generali inter cetera pro Mexicana Provincia ejusdem Ordinis decretum fuerit, quod Senarius Magistrorum numerus usque ad duodenarium extenderetur, si tamen desuper hujus Sanctae Sedis facultas accederet, ipse Philippus Procurator plurimum expedire existimat, ut non obstan. quibusdam fel. rec. Clementis PP. VIII, praedecessoris nostri in simili forma Brevis literis super Senario in omnibus serie Indiarum Provinciae praefatis Magistrorum numero non excedendo emanatis, quae incipiunt, *Admonet nos &c.* duodenarius Magistrorum huiusmodi numerus pro dicta Provincia Quiteni a nobis statuatur, ita tamen, ut quo ad promovendos ad Magisterii gradum huiusmodi postulatio a Diffinitorio facienda indispensabiliter requiratur, ac quaedam Constitutio rec. mem. Innocentii PP. XI. praedecessoris pariter nostri, quae incipit, *In Suprema &c.* pro eadem Provincia die 17. Martii 1679. edita sub numeris 27., & 28. omnino servetur Nobis propterea dictus Philippus Procurator, etiam nomine dictae Provinciae humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Id Decretum fuerat in Capitulo Generali an. 1685.

Preces Procuratoris, & Provinciae.

§. 1. Nos igitur ipsum Philippum Procuratorem specialis favore gratiae prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, ut de cetero Senarius d. Provinciae Quitenis Magistrorum numerus ad duodenarium augeatur, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quae in supradicta Innocentii praedecessoris Constitutione praescripta sunt, religiose, & exacte serventur, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Extensio dicta supra Inn. XI. Constitutionem facienda.

§. 2. Decernentes ipsas praesentes literas

Clausula.

semper, & perpetuo, tanquam ad Divini cultus, & bonorum operum augmentum, & Religionis propagationem tendentes, validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore, quovis praetextu, occasione, vel causa, recedi, aut resiliari, easdemque praesentes sub quibusvis similibus, aut dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, & etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, pro tempore existentes, sedemque praedictam sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis Clausulis, & Decretis pro tempore factis minime comprehendi, vel confundi, sed semper, & perpetuo ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, atque validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam, sub quacumque posteriori data quodcumque eligenda concessas esse, & fore, ipsique Ordini B. Marie de Mercede suffragari.

§. 4. Sicque, & non alias per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere-Legatos, Vice-Legatos, ac Sedis Apostolicae praedictae Nuncios, judicari, & diffiniri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Apostolicis, & in synodalibus, provincialibusque, & universalibus Conciliis editis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Regularium Domorum, locorum, & Ordinum huiusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis illi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, quod ipsarum presentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis alicuius personae in dignitate Ecclesiastica constitutae sigillo, & Notarii publici manu obfirmatis stetur, eademque profusa fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXI. Julii MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.